Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1571
Quelle:
Copyright:

mus ſanctl Bernhardi. Initium: *Uobis fratres alia, quam alijs de ſeculo* &c. Textus ſat caſtigatus eſt, et ad calcem non plane vere additum: *Hec ſcripſit beatus Bernhardus ſuper Cantica. qui morte preventus vlterius non proceſſit.* Accedit copioſus Index Rerum alphabeticus.

DCLXIX.

R. 3005. Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 121. f. per duas columnas bene ſcriptus, et coloribus enotatus comprehendit I. *Pharetram Doctorum, Trithemio* dictam *Scintillarium* ſive Senſa PP. collecta de diverſa Morum doctrina, et in IV. *Libros* diſtributa, quorum quilibet 50. numerat *Capita*, eorum Elencho ſingulis Libris praefixo. Praefatio ita orditur: *In conuerſionis mee primordio cum ob mentis recreationem* &c. et ipſa Compilatio eſt *Bonaventurae*, ut *Vol.* I. P. 1. *col.* 1189. et P. 3. *col.* 2637. dixi, et ejus *Opp.* Editio *Lugd.* 1668. T. VI. p. 99. f. teſtatur. In praeſenti Exemplo alphabeticum Indicem ad calcem habet.

Optimus ille Status mihi, Amice, videtur et Ordo;
In quo par cunctis olla, cuculla, calix.

Pluribus foliis adnotatum eſt, Codicem quondam fuiſſe *Fratrum Carthuſienſium iuxta Pragam extra muros*, atque illorum aliquis Thecae poſticae Catalogum Librorum inſcripſit partim, ut ait, *de Maurbach* (Carthuſia *Viennae* adſita) *allatorum*, partim *comparatorum in Praga*, quos inter nihil ſingulare.

II. *fol.* 75. ſequitur *Liber de fructibus Penitentie.* Sed id a ſecunda manu. Admonitio praevia haec eſt: *Quia peccantibus mortaliter poſt baptiſmum ſola penitentia remedium eſt ad uitam. et ut ait Ambroſius facilius inuenies qui ſeruauerit innocentiam. quam qui congruam egerit penitentiam. vt a multis qui pocius irridentes quam penitentes ſunt plenius agnoſcatur. que ſit uere penitentie forma. mihi quidem peccatori ſatis utile uiſum eſt ex ſanctorum patrum ſentencijs qui de hac materia ſcripſerunt ante nos plurima. flores pauculos colligendo penitentie modum ordinemque deſcribere et hoc opuſculum per CXCV. capita ſubiecta diſtinguere.* Sequitur igitur Index *Capitum*, ſed tantum CLXXXIX. Per decurſum vero CXCII. numerantur. Horum 1. inſcribitur *De fructu Penitentie* et incipit: *Omnis arbor que non facit fructum bonum* &c. Poſtremum *De labore manuali* definit: *antefertur maria que audiebat marthe que miniſtrabat.* Compilatorem ignoro. Extremis adſcriptum Diſtichon:

DCLXX.